

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **M. Vitruvii ... De architectura libri decem**

**Vitruvius  
Frontinus, Sextus Iulius**

**Argentorati, 1543**

Cap. XI

[urn:nbn:de:bsz:31-128539](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128539)

Si autem hæ copię nō fuerint paratæ, ita necessitatibus erit ad ministrandum, ne expectatione moræ res retineantur. Sarmēta aut tede schidiæ comburantur, cum erūt carbones extinguantur. Deinde in mortario cum glutino terantur, ita erit atramentū tectoribus non inuenustum. Non minus si fex uini arefacta & coacta in fornace fuerit, & ea contrita cum glutino in opere inducetur, perquam atramenti suauem efficit colorem, & quo magis ex meliore uino parabitur, non modo atramenti, sed etiam indici colorem dabit imitari.



## DE CAERVLEI TEMPERATIONIBVS.

## CAP. XI.

CAERVLEI tēperationes Alexandria primū sunt inuenta, postea item Vestorius Puteolis instituit faciendum. Ratio autem eius, e quibus est inuenta, satis habet admirationis. Arena enim cum nitri flore conteritur adeo subtiliter, ut efficiatur quemadmodum farina, & erit cyprio limis crassis (ut scobis) facto immixta conspergitur, ut conglomeretur. Deinde pile manibus uersando efficiuntur, & ita colligantur ut inarescant. Eæ aridæ componuntur in urceo fictili, urceus in fornace ponitur, ita es, & ea arena ab ignis uehementia conferuescendo cum coaruerint, inter se dando, & accipiendo sudores, à proprietatibus discedunt, suisq; rebus per ignis uehementiā confecti, ceruleo rediguntur colore. Vsta uero, quæ satis habet utilitatis in operibus tectorijs, sic temperatur. Gleba silis boni coquitur, ut sit in igne candens, ea autem aceto extinguitur, & efficitur purpureo colore.

QVOMO.